

...miseris etiam aliis quinque annis postea. Quod enim annis postea? Non enim annis postea, sed etiam annis postea. Quod enim annis postea? Non enim annis postea, sed etiam annis postea. Quod enim annis postea? Non enim annis postea, sed etiam annis postea.

**Q**ui codices mss. Ciceronis pro L. Murena orationem continent, eos constat saeculum XV non excedentes ex uno omnes exemplo vetustiore tanquam ex communi fonte ductos esse, quod a Poggio Bracciolino repertum non multo post, ut videtur, denuo casu quodam infelici interiit, quo factum est, ut eos viros doctos, qui hodie orationem illam recensendam suscipient, antequam de ipsis Ciceronis verbis iudicium faciant, collata scripturae varietate illud divinare necesse sit, qui libri mss. a vetusto illo exemplari proprius abesse ac minus a librariis aut corrupti esse aut interpolati videantur. Nam plerosque eorum non paucis locis a librariis temere emendatos esse, et magna discrepantia scripturae docet et ex eorum, qui saeculo XV libros transcriperunt, consuetudine per se intelligitur. Qui quum orationis Ciceronianae non mediocreiter periti essent et in litteris antiquis tanquam in domicilio suo habitarent, si quid aut obscurius aut insolentius dictum videretur, orationem emendando planiorem reddere ac vel Ciceronem ipsum corrigere non dubitarunt. Quodsi illud quidem constaret, quo anno ipsum archetypum Poggii repertum esset, paulo certius de singulorum codicum auctoritate iudicari licet; e quibus quum ei, quem Lagomarsinius numero X significavit, in fine a librario adscriptum sit, eum Id. Febr. a. 1415 absolutum esse, si Poggius non multo ante hanc orationem reperisset, aut codicem illum ex ipso archetypo manasse aut minus saltem Ciceronis verba in eo librariorum libidine depravata esse probabile videretur. Nec vero quo tempore archetypum fortuna Poggio obtulerit, coniectura saltem assequi non licet. Is enim, quum secretarii apostolici munere fungens Constantiam profectus esset, quo tempore ecclesiae Romanae conventus frequentissimus ibi agebatur, in itineribus inde in propinquiores Germaniae et Galliae partes susceptis cum alios veterum scriptorum libros, tum Ciceronis orationes complures situ ac pulvere obsitas ex tenebris in lucem protulit ac protinus cum viris doctis communicavit. Qui quum in monasterio Sti Galli se Quintilianum integrum aliosque scriptores Romanos detexisse in epistola ad Guarinum Veronensem a. d. XVII Kal. Ian. a. 1417 data scribat neque orationum Ciceronianarum mentionem ullam faciat, non existimo equidem, quod multis visum est, in ipso monasterio Sti Galli ullam Ciceronis orationem repertam esse; nam quum Poggium nusquam legatur saepius eo profectum esse, eaque, quae ibi nova invenisset, primo adventu omnia sua manu transcripta in Italiam misisse videatur, satius est statuere, orationes Ciceronianas ex aliis bibliothecis et Germanicis et Gallicis prolatas esse. Verum utut haec sunt, quum omnes fere novas litterarum latinarum copias, in quibus amplificandis egregie meruit, illis annis reperisse videatur. quum conventus Constantiensis causa ab urbe abesset, ne eam quidem orationem, quam Cicero pro Murena habuit, alio tempore ab eo inventam esse probabile est. Accedit, quod in Guarini expositione in or. p. Rosc. A. haec leguntur (v. Halm. in ed. Orell. II, 1, p. 66): *Iterum non parva textus pars deest. Quod factum est situ et exemplaris vetustate decrepita, quod vir doctissimus Poggius ex Gallis ad nos reportaverat, qui et huius orationis et alterius pro Murena repertor hac aetate fuit. Ut autem Fr. Barbarus dicere ac deplorare solet, occaecatum adeo exemplaris codicem, unde haec exarata est oratio, Florentiae viderat, ut*

*nullo pacto inde transcribi verbum potuerit.* Quae verba quin scripta sint, antequam Poggius ceteras Ciceronis orationes divulgavit, propterea dubitari non licet, quod earum Guarinus mentionem nullam facit. Sed quia Poggium, priusquam Constantiam profici scretetur, Italiae finibus excessisse nusquam memoriae proditum est, non absonum videtur statuere, eum in itinere Constantiam suscepto Galliae regiones peragrasse atque inde reportum illud exemplar vetustum protinus in Italiā misisse. Nam quod Guarinus id *reportatum e Gallis esse* scribit, id facile pro mittendi verbo dici potuisse opinor, nisi forte Poggium existimamus paulo post, quam Roma profectus esset, in Italiā redisse atque iterum ad concilium Constantiense profectum esse. Quae si probabiliter disputavi — neque enim pro certo quidquam statui licet — illud quidem non veri dissimile est, archetypum anno 1414 detectum ac statim in complura exempla transcriptum esse. Nam oratione pro Murena habita viros doctos illius aetatis non mediocriter delectatos esse, vel propter lepidam festivitatem et singularem urbanitatem, qua orator in ea usus est, nostro iure colligimus, quo accedit, quod non paucae res novae, ad iuris scientiam pertinentes, ea continentur, quibus viri docti magno eius orationis studio incenderentur necesse fuit. Quare nemo mirabitur, quod plurimi eius codices mss. hodie extant, quorum tamen multi neque ulla auctoritate sunt, neque ex ipso archetypo Poggiano exarati videntur.

Iisdem orationis huius virtutibus factum videtur esse, ut nostra quoque aetate non pauci viri docti studium suum atque industriam in ea et emendanda et interpretanda collocarent. Neque enim solum una cum reliquis Ciceronis scriptis aut cum selectis orationibus saepius recognita est, ut nihil de opera eorum dicam, qui in singulis locis illustrandis aut rectius constituendis bene meruerunt, sed etiam nuper eam Aug. Wilh. Zumptius separatim commentario copiosissimo instructam edidit. E quibus editionibus Halmiana et Zumptiana tantum ceteris praestant, nihil ut iam eum, qui de codicū auctoritate ac de singulis locis emendandis disputare velit, ad priores redire opus videatur esse. Halmius enim, quamquam non ita multis subsidiis novis adiuvabatur, non pauca tamen menda, quae iam inveteraverant, sustulit eaque, qua solet, continentia usus nihil fere in Ciceronem invexit, quod non satis certis testimoniis comprobaretur. Quo factum est, ut eius diligentia et ingenii acumine fundamentum huius orationis iaceretur, quo vix firmius in tanta codicū vetustorum inopia poni posse videretur. Zumptius autem, cui magno apparatu codicū a Carolo Timotheo patruo diligentissime collatorum uti licuit, non solum multis locis, qui adhuc desperati iacuerant, egregiam medelam attulit, sed etiam, quum verbis Ciceronis commentarium latine scriptum in puerorum usum subiiceret, exemplo suo consuetudinem prope intermortuam renovavit, quae magno litterarum antiquarum detimento recentiore aetate contemni copta est. Nam si discipuli in scholis eo genere exemplarium uti iuberentur, ne illi latine quum scribendi tum loquendi facultatem maiorem, quam hodie fere sit, inde sibi compararent et, quoniam nec levitati nec desidiae locus daretur, non solum litterae antiquae accuratius cognoscerentur ac perciperentur, sed etiam ingenia mirifice exercerentur. Quare velim, ut Zumptius ab incepto ne desistat, nec dubito, quin multis gratum facturus sit, si doctrina sua ad plures orationes Ciceronis in eundem modum recognoscendas ac divulgandas uti velit nec diutius reliquias copias a patruo collectas in scriniis latere patiatur. Nam ea quoque re novissima illa huius orationis editio non mediocrem laudem meruit, quod singulæ codicū omnium lectiones, quas vocant, in eam transcriptae sunt, ut nunc demum iudicari certo liceat, quae inter eos affinitas intercedat, qui deteriores sint, quibus denique tanquam fundamento in recensenda oratione utendum sit.

Ac Zumptius quidem ex magno codicum a patruo collatorum numero unum potissimum elegit, quem praeter eos locos, ubi aperte aut corruptus esset aut a Latinitate abhorret, unum sequeretur. Est vero is liber ms., quem a Lagomarsinio numero 9 significatum Niebuhr. in opusc. histor. et philol. Vol. II p. 233 et Car. Tim. Zumpt. in relatione academiae Berolin. a. 1841 p. 115 unum omnium praestantissimum esse censuerant, nisi quod hic Lgsinianum 24 tanquam secundum virtute proxime ad principem illum accedere existimavit. Ceterorum Lagomarsinianorum et Parisini n. 6369 nullam fere rationem habuit, neque id in plerisque iniuria fecit; sunt enim maximam partem, ut videatur, non ex ipso exemplo Poggiano exarati, sed ex aliis libris, virorum doctornm eruditio plus minusve expolitis, ac librariorum temeritate corrupti, Lg 9 autem quin ex archetypo transcriptus sit, dubitari non licet. Illud quoque A. W. Zumptio assentior, Lgsinianum 24, quamquam paucis locis unus veram lectionem exhibeat, velut § 30 *vieritur res*, § 85 *in rostris*, ibid. *comprimentur*, tamen non raro mendoza ac foede corruptum esse. Maxime autem hic liber vitio eo laborat, quod verba multis locis falso ordine collocata sunt, ac videtur a librario quodam confectus esse, qui, quum Latinitatis non ruditus esset, doctrinam suam varie mutando aut addendo ostentaret. Quare non est dubium, quin, ubi solus vera praebet, ea librarius suo ingenio assecutus sit. Praeterea ex iis copiis, quas Halm. in operum Tullianorum editione Orelliana altera Vol. II, p. 716 sqq. divulgaverat, tribus codicibus mss. usus est, Helmstadiensi, nunc Guelferbytano (G), Monacensi ex bibliotheca quondam electoralii (E), Monacensi altero, quondam Salisburgensi (M), e quibus Halm. Guelferbytanum plurimi videtur fecisse. Iam ut ego dicam, quid mihi de codicum auctoritate videatur: illud non crediderim, quod Zumpt. dixit p. XLVII etiam vulgares codices Italicos ex Poggii exemplo transcriptos esse; immo quorum varietatem scripturae in extrema libri sui parte adiecit, eorum omnium duos tantum, Lg. 9 et M, certo dixerim ex ipso archetypo exaratos esse; reliqui ad paucos ex eo ductos tanquam ad communes fontes videntur referendi esse. Ex his Lg. 10 13 18 24 26 65 P, G, quamquam aliquotiens inter se discrepant, tamen in tot lectionibus, quibus ceteri carent, omnes conspirant, ut vix possint non ex eodem exemplari transcripti esse, quod diversum ab archetypo et hic illic interpolatum, tamen non longo intervallo ab eo distaret. Sed num exemplum hoc, quod illorum codicum tanquam fundamentum esse statui, ipsum in eo numero sit, dubitari licet, quia multi loci obstant, quominus ex Parisino, quem proxime ad optimos codd. Lg. 9 et M accedere vidi, reliquos ductos esse credamus. Ex eodem genere codicum etiam Lg. 86 est, quamquam compluribus locis ab eis discrepat. Qui restant libri mss., multo his deteriores, ut non paucis locis ex alio aliquo videntur manasse, ita pluribus cum illis adeo conspirant, ut difficile sit negare eos non sine magna emendandi libidine ex illis descriptos esse; imprimis Lgsiniani 13 affines sunt, sed nonnunquam proprius ad 10, aut 26, aut vero etiam ad 86 accedunt. Ceterum quum nulla fere auctoritate sint, non est tanti, ex quibus fontibus quasi derivati sint diligenter quaerere. M vero, quamquam interdum correctoris licentiam ac manum secundam prodit, tamen raro ac leviter emendatus est, multis autem locis, ubi ceteri refraganter, adeo cum Lg. 9 consentit, ut, nisi statuas ex ipso Lg. 9 eum transcriptum esse, quod multis de causis non est verisimile, ex eodem, quo ille, fonte manarit necesse sit. Iniuria igitur, ut videtur, Zumptius hunc codicem ut proxime a Lg. 9 abesse, ita non ex Poggiano, sed ex alio libro non nimis distanti descriptum esse censem. Qua quidem in re non omnibus locis sibi constat; nam § 47, ubi *prorogationem* contra Mommsenii *perrogationem* recte, ut videtur, defendit, illud omni codicum auctoritate commendari ait, ex quibus

deteriores tantum aliquot *perrogationem* habeant; sed hoc etiam in M legitur, quem in annot. ad § 45 p. 83 praeter Lg. 9 omnium integerimum et p. 78 in iis numerandum esse confitetur, qui cum fide ex vetustiore exemplo transcripti neque a viro docto emendati sint. Cf. praeterea § 54, p. 96; § 59, p. 104.

Sed ne temere dixisse videar, codicem M ex eodem fonte quo Lgsinianum 9 manasse, locos aliquot afferam, e quibus maximam inter utrumque affinitatem intercedere appareat. Ac primum quidem eos eligam locos, quibus eadem varietas scripturae etiam aliorum quorundam ac plerumque meliorum communis est, tum eos deinceps recensebo, quibus unus duntaxat M cum illo conspirat. § 6 in verbis *sed a republica mihi impositam sustinui pro a*, quod est in Lg. 9 68 M, reliqui habent *ab rep.*, Lg. 24 inverso ordine *mihi a rep.* Itaque recte *ab Halmii a Zumptio* eiectum. — § 8 extr. in loco perquam corrupto, de quo infra disputabo, in Lg. 9 18 26 65 M legitur *esse hominis et astuti et ingratii*; in reliquis falso est *esset*. — § 13 Lg. 9 et M cum aliis *intempestivi*, Lg. 10 13 26 65 P, G *intempestivi* habent. — § 15 In verbis *et proavis L. Murenae et avus praetor fuit M, G*, Lg. 24 *praetor* habent, 3 8 9 65 pr., P p. r., quod idem est, reliqui *pater*. — § 18 verba *Neque enim vestrum quemquam fugit* sunt in 9 M, P, G, E, 20 25 86; *nostrum quemquam* in 24; in reliquis inverso ordine aut *quemquam nostrum* aut *quemquam vestrum*. — Ibid. paulo post *pares dignitate* in 9 M, G; *pare* in P, 25 26 86; *pari* in reliquis. — Ibid. *possit obtinere* in 9 M, G; *posset* in reliquis. — § 21 *qui in foro habitarint M, P, G*, Lg. 9 13 24 26 65 exhibit, *habitarunt reliqui*. — § 22 *rei militaris* 9 M, P, G, *res militaris* E, *reos militaris* rell. — § 24 Lg. 9 24 M *largitioni*, rell. *largitione*, praeter 7, in quo est *largione*. — § 25 soli Lg. 9 M, G, 24 m. s. *singulis diebus ediscendis*, 13 *eligendis*, 26 65 *discendis*, rell. *eliscendis*. — § 26 *praetor interea* 9 P, G; *pretor* (quod idem est) M, *praetor* rell. — Ibid. E, M m. p., 9 13 corr. 86 *barbatos*, rell. *barbaros*. — § 30 *pellitur e medio soli M et P*; *repellitur* 9; *bellatur* G; *tollitur* rell. — Ibid. *vi geritur res publica*, *spernitur orator* in solo Lg. 24, *haud dubie recte emendatum*; in 9 *videtur r. p. spernitur*, quod quum absonum esset, librarius in M fecit *videtur respui spernitur*. In exemplari eo, ex quo reliquorum codicum meliores videntur manasse, illud haud dubie fuit, quod in 10 et P exstat, *videtur re spernitur*, unde in G *videtur respuitur*. Reliqui habent *videtur responni orator*, praeter 26, in quo est *videre responnitur oratio*, et 65, in quo *geritur omissum*. Quo ex loco apparet, Monacensem leviter illum quidem emendatum esse, sed tamen prope a Lg. 9 abesse, P autem et Lg. 10 cum fide transcriptos esse. — § 33 *terra et mari* in 9 M, G, E; *ei terra et mari* 13 P; *ex terra* 24; *et terra et mari* rell. — Ibid. *putasset* 9 10 13 26 65 M, P, G; *putatesset* 24, sed *correctum putasset*; rell. *putavisset*. — Ibid. *ad Tenedon* 9; *ad Tenedum* M, 86; *apud Thenedum* 24; rell. *attened*. — § 34 *Luculli tantum* M, 9 24; L. P; omittunt rell. — § 35 *existimaris* 9 10 20 26 65 86 M, P, G, E, 25 m. s. rell. *existimamus*, praeter 24, in quo *existimam*, corr. *aestimamus*. — § 37 soli 9 24 M, E post *decesserant additamento* carent *exercitum Luculli significat*, quod quum in communi fonte reliquorum adscriptum esset, in 24 et E a librariis scite omissum est. — § 38 *diliguntur* 9 10 24 m. p. 65 G, M m. p.; *diligentur* 26; rell. *recte emendatum diliguntur*. — § 39 *admirare* 9 20 25 26 65 E, G, M, P; *admirere* *recte emendatum* rell. — § 41 *huius* 9 10 24 25 26 65 86 E, G, P, M; rell. *istius*. — § 42 *iudicum* 9 24 corr. 65 M; rell. *recte indicum*. — Ibid. *verba ipso et praetore et consule* in 9 sic leguntur *ipso et preconsule*; in M, P, G, 10 *ipso et praes consule*; in 24 *ipso pro consule*; in 65 *ipso pre consule*; in 13 *ipso et praes consulte*, unde in deterioribus factum est *pres consulte*. In archetypo fuisse videtur *ipso et preconsule*, quod in melioribus leviter immutatum, in

deterioribus perperam correctum est. — Ibid. intelligunt 9 10 13 24 corr. 26 65 G, M; intellegunt P; intelligent rell. — § 49 candidatorum obscuriores — solent 9 24 26 65 M, P; in rell. emendatum obscurior ei — solet. — § 56 alienis exitio 9 M, P, sed hic cum spatio quinque litterarum; alienis ex mo (quod idem est) G, alienissimo 10 13 20 25 26 65 86; alienissimis rell. — Ibid. inimico 9 M, P, G; inimicus rell. — § 58 prodesse possit 9 10 M, P, G; possint 65; posset rell. — Ibid. unius (pro nimiis) 9 M, 86; nimis rell. — § 60 recte sed peccas: te regere possum 9 10 13 20 24 m. p. 25 65 86 M, P, G, E; si peccas, te regere possum 26; sed si peccas te reg. rell. — Ibid. in fine patitur 9 10 13 26 M, P, G; patiatur rell. — § 64 cum eiusdem anni custodiam 9 P, G; cum eiusdem anni custodia 24 m. p. M m. p. custodem M m. s.; rell. recte emendatum cum in eiusdem anni custodia. — § 66 C. Laelio 9 10 13 24 26 65 M, P; est Laelio rell. — § 67 innocentiam nam ambitum 9; innocentiam num ambitum M; innocentiam non amb. P, G; in rell. recte inverso ordine ambitum, non innocentiam. In archet. fortasse fuit innocentiam nambitum. — § 72 tenuiores tribulibus vetere 9; tenuiores suis tribulibus vetere M; tenuiores et suis trib. vet. G; tenuiores (lacuna) ea suis trib. vet. P; tenuiores primum nondum qui ea suis tribulibus vetere rell. praeter E, 20, e quibus nihil enotatum. — § 73 ad in verbis ad spectandum dare om. M, G, 9 10 13 24 26 65. — § 76 ais tunc 9 24, quo prope accedit M ais aīe; istunc vel is tunc rell. praeter P, in quo istuc. — § 79 reici (pro reieci) 9 corr. M, G. — § 80 iam est 9 10 20 24 25 26 M, P, G, E; est solum 65; est cum 86; rell. est iam. — § 81 tr. 1 3 7 8 9 13 26 M, E; te 65; om. P, G; rell. tribuni. — § 82 dimoveri recte 9; dimovere 24 M m. s.; removere 20 25 86 E; demovere rell. — § 83 non mihi 9 24 M; mihi rell. — Ibid. natus es 9 24 26 65 M; natus es et P, unde in G natus esset; rell. natus esse. — § 86 obstruatis (pro obruatis) 9 10 13 24 corr. 26 65 M m. p.; observatis 25 86 G; obscuretis P.

Plures praeterea affiri loci possunt, e quibus appareat, et Monacensem proxime ad Lg. 9 accedere et eam, quam supra dixi, partem codicum meliorem e libro quodam ductam esse, qui non sine omni fide ex archetypo transcriptus esset. Sed praestat iam eos recognoscere, quibus Lg. 9 cum uno M conspiret, ut ex eodem utrumque fonte manasse probabile sit. § 2 in eis solis exstat eum vestrae fidei commendat, in rell. ei. — § 4 uterque habet potissime, rell. potissimo. — § 8 consulatum omittunt omnes praeter M, in quo post peteres collocatum, et 9. — Ibid. favi nunc om. omnes praeter 9 et M, in quo falso scriptum est abfui. — § 11 potissime 9 et M; rell. aut potissimi aut potissimum. — § 13 M. Cato eidem; rell. aut Marce, aut marre, aut anni Marce. — § 25 in isto studio admirationis soli 9 et M; rell. varie corrupti. — § 27 Caia, ubi rell. varie corrupti (M superscr. qui), item altero loco Caias, rell. aut Gaias, aut Gayas. — § 30 aliquis motus; rell. recte emend. aliqui. — § 31 sin haec bella 9 et M; sic 86, sed G, si rell. — § 35 quantos fluctus 9, quos fluctus M; rell. fluctuum, aut fluentium, aut fluctum. — Ibid. rumore; rell. rumores. — § 39 a delectatione; rell. ab delect. — § 45 aut certam (pro desertam); rell. restam, testam, testem, textam, tertam. — § 47 cui minime proderant; rell. cum minime prod. — Ibid. idem editic. iudic.; rell. eidem. — § 51 tum erupit e senatu; rell. aut cum, aut cur, aut qui cett. — Ibid. paulo post pro vivum illinc in 9 est vivo milone, ortum illud ex eo, quod in unum M cum fide transcriptum est, vivom illinc. — § 54 est relicitus (relicitus est) omnes codices habent praeter 9 et M m. p., in quibus solum est reperitur. — § 58 eximiam dignitatem; rell. eximiam vim, sed vim et M m. s. — § 59 in verbis nam traditum memoriae est praeter 9 et M est omnes omittunt; contra § 60 soli illi exhibent vituperare non possum; rell. possum omittunt praeter 24, in quo de conjectura scriptum audeo. — Ibid. paulo post unus M, si Zumptii annotationem recte intellexi, nonnulla for-

*sitan in re conformare*, nam in 9 est *confirmare*; rell. varie sunt corrupti, omissio aut in, aut in re. — § 67 *remove ac praetermitte M et 9*; rell. ac omittunt praeter P et G, in quibus in. — § 69 *rogati infimorum hominum cett.*; rell. falso *roganti*. — § 70 falso *non sectentur pro assetentur*; rell., quod proprius ad verum accedit, *aut sectentur*, nisi quod in 24 falso adiectum est *aut preeant*. — § 72 *assequebantur praefectum fabrum nullo lacunae signo*; rell. aut adiiciunt *deficit*, aut lacunam punctis significant. — § 78 pro *contagio* in solis 9 et M est *cogitatio*. — § 80 In iisdem recte *Atque haec cives, cives, inquam*; rell. pro duplii *cives corrupte quae si cives, quae cives queque, quae cives, sine*. — § 85 *qua poterit et iam minatur 9 et M; qua po. ro. minabitur 24 ex emendatione*; rell. corrupti, omissis aut uno aut duobus vocabulis.

Haec enotare, quamvis molestum esset, necesse videbatur esse, ut fundamento quasi totius commentationis posito certius ad singulos locos recognoscendos progredi liceret. Etenim illud mihi iam docuisse videor, quod volui, Monacensem cod. a ceteris adeo discrepare, cum Lg. 9 autem tot locis conspirare, ut non possit non ex archetypo transcriptus esse; reliquorum autem codicum partem aliquam non illos quidem ex Poggii exemplo descriptos videri, at ex eo tamen, quod ex archetypo satis diligenter transcriptum sit. Quae si vera sunt, non iam unum Lg. 9 sequi licebit, sed reliqui quoque consulendi erunt, maximeque M, quem praeter Lg. 9 unum omnium ceterorum maxima fide exaratum esse intelligitur: non quod a vitiis immunis sit aut a librario non emendatus; nam et manu altera correctus est, cuius supra vestigia nonnulla demonstravi, et videtur ab homine quodam confectus esse, qui orationis Ciceronianaे haud ignarus aut aperta vitia sua sponte tolleret, veluti § 20 pro *loquar*, quod ferri non potest, scripsit *loquor*, aut, ubi litterarum ductus in vetusto exemplari non dignosceret, id reponeret, quod qualicunque modo posset intelligi. Cf. supra § 30 *videtur respui, spernitur*. Etenim illud sine dubio recte Zumpt. vedit, non fuisse archetypum uncialibus litteris perscriptum, quod Niebuhr visum est, sed vulgaribus, quibus saeculo X et XI librarii uti solerent. Praeterea librarium exempli Poggiani non semel aut integra vocabula aut terminos vocabulorum compendiis scripsisse apparet, qua re intelligitur, quomodo factum sit, ut librarii ad emendandum tanquam provocarentur. Nec tamen is, qui Monacensem illum confecit, religione non continebatur aut in corrigendo immodeste se gerebat, cuius rei documenta et supra allata sunt et infra plura comparebunt, quum de singulis locis constituentibus disputabo. Lg. 9 autem, ut plerumque cum fide exaratus est, ita temeritate librarii mendis non paucis inquinatus; nam et multa verba vitiouse scripta sunt, et hic illuc omissa, quae in archetypo extarent, et vero ne emendandi quidem suspicione caret. Atque illud quidem nemo mirabitur, esse hunc codicem nonnunquam librarii aut errore aut negligentia corruptum, quod incommodum nullus codex ms., ne optimus quidem, effugit; hoc unum h. l. monuerim, terminaciones potissimum in eo codice vitiouse scriptas esse, quod, ni fallor, non raro eo factum est, quod librarius notas et compendia archetypi minus intellexit. Exempli causa affero haec: § 8 *superatus sit*, quod in solo Lg. 9 pro *superata est* legitur. — § 9 *de tui ipsius studio*, pro *tuo ipsius*. — § 10 *moderabo pro moderabor*. — § 11 *in contentionem pro contentione*. — Ibid. *solent pro soleant*. — § 12 *quod pro quidem*. — § 17 *duabus pro duobus*. — § 18 *habet pro habeat*. — § 19 *gratia pro grata*. — § 20 *vim pro vi*. — § 21 *servum pro Servium*. — § 22 *urbana pro urbanae*. — § 24 *nominum sub hanc pro non mirum si ob hanc*. — § 25 *posse pro posset*. — § 26 *dictis qui pro dicas qua*. — Ibid. *causam pro causa*. — Ibid. *inanissimae pro inanissima*. — § 30 *bellicos pro bellicum*. — § 32 *aliquid armis pro aliquot annis*. — Ibid. *coniunctiores pro coniuncturum*.

§ 33 ianuam asia pro Asiae ianuam. — § 44 concurserit. — § 45 diffidet pro diffidit. — Ibid. eiusdem pro eiusmodi. — Ibid. et vere pro et vero. — § 51 allata pro allatae. — Ibid. quoniam pro quem. — § 59 innocentum et impotentum. — § 60 viderere pro videare. — Ibid. sed pro et. — § 61 sunt pro sint. — Ibid. non pro nos. — § 62 consulis pro consularis. — § 63 mei pro meo. — § 74 oporterer pro oportaret. — Ibid. cubanas pro cubans. — § 76 ait pro ut. — Ibid. rogare pro rogari. — § 80 meum corr. pro meae. — § 81 quidem pro quid. — Ibid. accedit pro accedat. — Ibid. prospicitis pro prospicis. — § 89 privaret pro privat.

Non minus initia verborum quasi mutilata aut adiectis aliquot litteris aucta sunt, aut omnino singula vocabula librarii socordia corrupta; quo in genere non ea numero, quae prava eius consuetudine scribendi orta sunt, qualia sunt *micto* pro *mitto*, *substinere*, *stomacum*, *conctione*, similia. Ex his quoque vitiis, ut infra afferendis exemplis super-sedere possim, nonnulla hoc loco prescribere placet. § 13 est *oiicitur*. — § 22 *istius* pro *instituus*. — § 23 *reip.* pro *populi Romani*. — § 25 *comicum* pro *cornicum*. — § 29 *assequi* pro *esse qui*. — § 30 *non nunc* pro *sed nunc*. — Ibid. *repellitur* pro *pellitur*. — § 32 *emiciuit* pro *enituit*. — § 33 *consumarentur* pro *consumerentur*. — Ibid. *opidorum*. — § 37 *utrumque*. — Ibid. *petionem* pro *petitionem*. — § 38 *nonavit* pro *donavit*. — § 40 *restuit* pro *restituit*. — Ibid. *competridicem* pro *competitricem*. — § 47 *editios* pro *editios*. — § 48 *meum* pro *in eum*. — § 49 *etiam* pro *ei iam*. — § 50 *repleta* pro *erupta*. — § 51 *cum enim* pro *tum enim*. — Ibid. *potuerat* pro *oportuerat*. — § 56 *inimiciores* pro *munitiores*. — § 57 *competere* pro *cum petere*. — § 60 *ergo* pro *ego*. — Ibid. *confirmare* pro *confor-mare*. — § 62 *deductus* pro *ductus*. — § 63 *diffusum* pro *diffusum*. — § 66 *admirandum* pro *ad imitandum*. — § 70 *optatorum* pro *occupatorum*. — § 71 *deripere* pro *eripere*. — § 72 *vobis* pro *nobis*. — § 73 *fiet* pro *faciet*. — § 74 *iam* pro *eam*. — Ibid. *dispartiunt* pro *disperiunt*. — § 77 *an* pro *in*. — § 80 *anita* pro *inita*. — § 82 *inhermem* pro *inermem*. — § 83 *res* pro *respublica* (*ortum ex resp.*). — Ibid. *concitande* *eisdem*. *Ne igitur* pro *con-citandae*. *Idemne* igitur. — § 84 *munienda* pro *minuenda*. — § 85 *avolabit* pro *advolabit*. — § 87 *in veste* pro *iniuste*. — § 88 *non* pro *vero*. — Ibid. *crimen* pro *omen*. — Ibid. *affli-geritis* pro *affligeritis*. — § 90 *valet* pro *habet*. — Ibid. *facturum* pro *futurum*.

Transcripsi hos locos, quamquam Zumpt. ipse p. XLVI et XLVII partem eorum con-gessit, eo consilio, ut probarem librarium eius codicis saepe turpi et inscitia et festina-tione foede lapsum esse, qua re fides eius magnopere infirmetur et extenuetur necesse est. Ceterum ea menda praetermisisti, quae, quum in aliis quoque codicibus inveniantur, in ipso archetypo fuisse verisimile est, aut quae in Lg 9 correcta sunt; nam iniuria Zumpt. p. XLVI praeter unum locum nusquam illum codicem correctum esse ait, quae sententia non paucis locis ab ipso in *varietate lectionis* allatis videtur redargui, veluti, ut mittam alia, p. 154 haec leguntur: *peteres] peterem* 9 m. pr. sed corr. Quac quum ita sint, nescio an reliquorum codicum consensui, praeterquam iis locis, ubi errorum aut emendationum origo in iis perspicua sit, plus quam uni illi Lg 9 tribuendum sit, quippe quum Monacensem cod. item proxime ad vetustum exemplar Poggii accedere eun-demque a ceteris libris mss. diversum esse appareat.

Itaque non placet, quod Zumpt. § 4 Halmii lectionem *quod natura fert ut eis save-a-mus* deseruit, quum scriberet *quod natura affert ut eis faciamus*; nam etsi *affert*, quod libri mss. omnes habent, quodammodo intelligi possit, praestabit tamen, in tanta prae-sertim codicum vetustorum penuria, Ciceronis consuetudinem dicendi tanquam certissimam normam sequi, quae illud retineri non patitur. Ceterum ne illa quidem ipsa, qua Zumpt.

utitur, defendendi ratio probari videtur posse. Is enim, posteaquam *natura fert* dupliciter dici monuit, ut esset aut id, quod natura perfert, patitur, aut id, quod natura afferit, adducit, idcirco ipsum *affert* exquisitus quodammodo dici posse censuit. At neque aut ea, quae ab interpretibus explicandi causa dici licet, in usu omnia veteribus Romanis fuisse existimandum est, aut *affert* prorsus idem valet ac *fert*, quorum illud recte dicitur de rebus externis vel extrinsecus arcessitis, quae casu quodam, aut certo consilio ad aliquid admoveantur: *ferre* id significat, quod naturae alicuius rei conveniat caue quasi coniunctum sit, quare *afferre* alienum ab iis locutionibus est, quae de rebus naturae quadam necessitate insitis et tanquam innatis usurpantur. Iam apparet, opinor, cur *natura fert* dupli vi dicatur, et patiendi vel concedendi de iis rebus, quae ipsi non adversantur, et requirendi vel postulandi de iis, quae ut exstant et quasi procreentur efficit, neque ultra ubique notio potior sit, discerni facile poterit; veluti in *Verr.* II, 27, 57, quem locum Zumpt. attulit, *tamdiu pependit in arbore, — quamdiu voluntas Apronii tulit*, utroque modo videtur explicari posse, adducendi vero vel afferendi vim vix quisquam in verbo illo inesse existimet. Quare quum vocis antecedentis ultima littera facile potuerit iterari, ut *affert* oriatur, unde *affert* factum est, quin h. l. a codicibus omnibus discedendum sit, non videtur dubitari posse. Nec minus displicet, quod Zumpt., quum reliquorum codicum consensus *faveamus* tueatur, ex uno Lg. 9 *faciamus* recepit, cuius verbi defendendi causa negat hominum naturam ita ferre, ut iis, qui cognita nobis pericula ingrediantur, *faveamus*, at viam iis nos monstrare, quaeque nobis nota, illis ignota sint, explicare: quasi vero *favere* h. l. alienum sit, quod quum aliud nihil sit, nisi prodesse alicui velle et studiosum eius esse, apte causam significat et originem praecipiendi in voluntate eorum inesse, qui discrimine alterius moveantur eiusque saluti timeant, ac nescio an ea, quae paulo post leguntur, quo tandem me esse animo oportet — in hunc, cui video maximas reipublicae tempestates esse subeundas verbum illud quodammodo requirere videantur. Neque vero Cicero *favere* hac vi non saepius dixit, cf. fam. 12, 7, 1 *Sed me haec non movebant: alia malebam. Favebam et reipublicae, cui semper favi, et dignitati atque gloriae tuae; nam plura afferre nihil opus est.*

Ibid. paulo post iniuria Zumpt. ex Lg. 9 et duobus codicibus deterioribus scripsit *praevidere quid futurum sit*; nam quod Halm. apud Ciceronem quidem *praevidere* nunquam dici ad or. Phil. II § 37 ed. Weidmann. adnotavit, id verum esse tot locis vetustissimus quisque cod. docet, ut hic quoque locus documento sit, unde appareat reliquos huius orationis libros mss. non raro maiore fide quam Lgsinianum 9 exaratos esse. Etenim Cicero non solum dicit *providere aliquid futurum esse*, velut Phil. II § 83 *Id igitur obvenit vitium, quod tu iam Kal. Ianuarii futurum esse provideras et tanto ante praedixeras*; cf. ibid. § 24; in Cat. III § 16; in Vat. § 4; sed etiam quod in *Verr.* acc. V, § 22 legitur nostro loco similimum, *provideo enim, quid sit defensurus Hortensius*, in codd. tantum non omnibus iisque longe praestantissimis est. Nec aliter de fin. 1, 14, 47 nec *quid eventurum sit prouident*, nulla, ut videtur, scripturae discrepantia.

§ 7. Quod Zumpt. ex uno Lg. 9 recepit, *quantum tu a me expostulare ausus sis*, id a sententia ipsa eo probare conatur, quod Sulpicius nimium et vehementius a Cicerone postulaverit, ut sibi consulatum petenti faveret, quamobrem etiam adiectum sit *ausus sis*. Quam vehementiam postulandi Cicero si significare voluit, adiecto audendi verbo satis eam aperte significavit, nec vero pro *postulare* gravius verbum poni necesse fuit. Accedit quod *expostulare* hac quidem significatione vix alibi usquam apud Ciceronem reperitur; nam omnibus locis est *conqueri cum aliquo, concertare, altercari*, aut simpliciter *queri, acerbe*

*ferre. Cf. pro Sull. 15, 44 cum videres aliter referri, cur tacuisti, passus es? non mecum aut cum familiari meo questus es? aut, quoniam tam facile inveheris in amicos, iracundius et vehementius expostulasti?* In Verr. III, 89, 207; p. Planc. 24, 58 al. Quae quum mecum reproto, non sine magna causa Baiter. p. Rosc. Com. 17, 50 pro expostulare mihi et postulare videtur scripsisse, nedum h. l. unum Lg. 9 sequar, in quo expostulare aequem corruptum est ac § 30 repellitur, 62 deductus, alia.

§ 11. Optime ante Zumptium haec legebantur: *Qui si adolescens patre suo imperatore non meruisset, aut hostes aut patris imperium timuisse aut a parente repudiatus videretur. An, cum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant, huic donis miliaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis paene simul cum patre triumpharet?* Nam quod Halm. receperat ne — triumpharet, pro eo in add. et corrig. vol. II p. 1448 id, quod vulgo scribebatur, ut — triumpharet restituit. Quo loco Cicero ad avertendam luxuria invidiam ita defensionem instituit, ut Murenam doceat in Asia stipendia merere necesse fuisse, quam necessitatem duobus argumentis probare studet, quorum alterum a loco belli, alterum ab imperio patris petitum est. Etenim quum in una Asia provincia illo tempore bellum gereretur, si in alia provincia caue pacata stipendia sua absolvere maluisset, profecto ignaviae crimen non effugisset neque id non augeri idecirco potuisset, quod ipse Murenae pater in locis illis cum summo imperio erat, praesertim quum adolescentes Romani more institutoque maiorum patribus potissimum imperatoribus militiam exercere consuissent. Quae subsequuntur, nihil novi inferunt, nisi quod contraria ratione non fugiendum Murenae fuisse significant una cum patre laudem bellicam sibi comparare, ut patrem triumphantem comitari posset. Quae quum ita sint, vix ea prioribus, tanquam novum membrum argumentationis adiceretur, particula aut adiungi licuit, ac scite a Lambino aut, quod in codd. praeter Lg. 65 omnibus quarto loco legitur, mutatum est in an, quam emendationem ut facillimam esse, ita locis similissimis comprabari Zumpt. ipse confitetur. Qui quum id ageret, ne ulla Lgsiniani 9 littera perderetur, non solum illud aut refinuit, sed etiam, quod paulo infra in eodem codice est fugiendum fuit, ne ut — triumpharet in hunc modum emendavit, ut scribebat fugiendum fuisse ut — triumpharet. Qua ratione vereor, ne Ciceroni, homini perspicuitatis studiosissimo, comprehensionem verborum admodum inelegantem et impeditam, ne dicam obscuram, obtruderit. Nec vero librorum mss. auctoritatem satis diligenter secutus esse mihi videtur. An fuisse ut in exemplo Poggiano exstissem existimabimus, licet in aliquot codd. fuit ut legatur, in uno M fuit ne, in reliquis fuit ne ut? Probabilius illud, in ipso archetypo perperam fuit ne ut scriptum fuisse, cuius vitii originem eam esse appareat, quod ne propter fugiendi verbum tanquam necessarium a librario quodam adiectum est, unde in alios codices utrumque vocabulum, in alios alterutrum irreprimit. Non est igitur, cur a lectione priorum editorum praestantissima desciscamus, neque quod § 12 extr. in uno Lg. 9 legitur nihil in hisce rebus loci fuit pro eo, quod vulgabatur nihil loci — est, receperim.

§ 17 pro generis novitate Zumpt. generis nobilitate scripsit, non solum quod in Lg. 9 legitur, sed etiam quod ipsum per se ei rectius altero visum est, quia de Murenae novitate, cuius iam proavus praetor fuisse, dicere Serv. Sulpicius non potuerit: at contendisse eum nobilis suum quam competitoris sui genus esse. Qua quidem de re minus probabiliter disputavisse videtur; nam Serv. Sulpicius, tametsi Murenae et proavus et avus et pater praetura functi erant, tantum tamen generis et antiquitate et nobilitate ei praestitit, ut non immerito ei novitatem generis cum quadam ignominiae nota exprobare posset, praesertim cum e Murenae maioribus nemo insignem laudem meruisset. Accedit

quod Cicero ad redarguendam Sulpicii reprehensionem vindicandamque illi generis antiquitatem praeter se ipsum multos homines novos commemorat, qui virtute genus suum nobilitaverint, et paulo ante § 17 consulatum non magis nobilitati quam virtuti patere ait, ut dubitari vix possit, quin Sulpicius in contentione dignitatis Murenam omnino nobilitate carere cum contemptu dixerit et novitatem generis ei vitio verterit. Quare illud, quod in ceteris libris mss. legitur, non ita repudiandum fuit, quippe quem propter nobilitatis verbum paulo ante bis praegressum facile errori locus daretur.

§ 22. In verbis *ille ut eo, quo intendit, mature cum exercitu perveniat* etiam minus dubito a Lg. 9 recedere, qui solus *intendat* habet, ceteris omnibus indicativum exhibentibus, quem Zumpt. iniuria videtur aspernatus esse, vel propterea, quod verisimilius est coniunctivum a librariis invectum esse quam indicativum. Neque generalior, quam ille dixit, sententia est quam infra § 24: *Gravis etiam illa est et plena dignitatis dicendi facultas, — posse consilio atque oratione et senatus et populi et eorum, qui res iudicant, mentes permoveare; nam utroque loco relativa sententia circumlocutio efficitur, absolutam notionem continens, nec potestas rei, sed res ipsa significatur, ut simpliciter etiam dici potuerit ad finem itineris et iudicium.* Longe aliter res se habet § 23, ubi suo iure Zumpt. contra codicum consensum coniunctivum concilient pro indicativo reposuit. — Quod § 26 ex eodem Lg. 9 receptum est: *Quid huic tam loquaci, tam litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat pro vulgari lectione tam loquaciter litigioso,* id optimum videtur, nec tamen necessarium. Nam ut facile concedo, litigiosum non esse eum, qui litiget, sed qui litigandi cupidus sit, ita quum litigandi cupiditas fere cum loquacitate coniuncta sit atque h. l. vel ipsa verbositate contineatur, in lepida iurisconsultorum irrisione aptissime dici potuit *loquaciter litigiosus.* Similiter Cic. de off. 3, 31, 11 T. *Manlius magnus vir in primis, et qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium, i. e. cuius severitas acerbitate non caret.* Tusc. 5, 2, 6 *vituperare quisquam vitae parentem — audet et tam impie ingratius esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiamsi minus percipere potuisset,* i. e. ingratus eo, quod ab impietate alienus non est, quos locos Naegelsbach. in libro *Sat. Etif. litif. ed. III*, p. 237 praeter alios assert. Quare ut Zumptii lectio per se bona est, ita vulgaris, quae librorum auctoritate magis commendatur, non videtur spernenda esse, quippe quum fieri facile potuerit, ut librarius Lgsiniani 9 terminatione adverbii minus intellecta integrum vocabulum sibi deprehendisse videretur. — Item § 28 *ita* vitiouse in illo codice scriptum existimo pro *itaque*, neque quod paulo post ex eo solo receptum est in *promptu*, erroris aut emendationis suspicione caret. Quamquam Zumptio hoc adeo placuit, ut, quae vulgo legebantur: *Quod enim omnibus patet et aequa promptum est mihi et adversario meo, id esse gratum nullo pacto potest, vel minus apta ei viderentur, quum inter mihi promptum est et mihi in promptu est hoc discrimen intercedere statueret, ut illud significaret quod facile esset ad efficiendum, hoc etiam quod facile in meum usum, mea causa fieret.* Sed apud Ciceronem quidem in *promptu esse* nihil aliud est nisi sub *adspectu*, in aperto positum esse, patere, cui contrarium est *reconditum esse, latere,* velut de off. 1, 27, 95 pertinet quidem ad omnem honestatem — *decorum et ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu.* Ibid. 35, 126 *quae (natura) formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu;* *quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae adspectum essent deformem habiture atque turpem, eas contextit atque abdidit.* Ibid. 30, 105 pertinet ad omnem officii *quaestionem semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque beluis antecedat.* Idem proprie *promptum est* significat, cf. p. Rose. A. 40, 118 *Tametsi hoc qui-*

dem minime latet, quod ita promptum ac propositum est. **Verr.** acc. 4, 20, 42 statuerunt nihil se tam clausum neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati aperi-  
tissimum promptissimumque esset. De fin. I, 9, 30 interesse enim inter argumentum con-  
clusionemque rationis et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem; altera oc-  
cultula quaedam et quasi involuta aperiri, altera prompta et aperta iudicari. Hinc utriusque  
vocabuli notio orta est, ut significant paratum, expeditum esse, velut Cic. acad. post. I,  
2, 4 *Ea dicam, quae mihi sunt in promptu; de or. I, 56, 237 utriusque rei facilis est et*  
*prompta defensio.* Quare si qua accedit utilitatis significatio, ea a neutro vocabulo aliena  
erit, ac satis mihi docuisse videor, h. l. utrumvis vocabulum nulla sententiae differentia  
dici potuisse; sed quum in *promptu* in solo Lg. 9 legatur, quae varietas scripturae eo  
videtur orta esse, quod in archetypo *promptu* scriptum fuit, — nam non raro in eo m  
littera a terminationibus absuisse videtur — quod vitium librarius, quum minus intel-  
lexisset, adiecto in leviter emendavit, tutius profecto est, *promptum* tueri. Neque assentior  
Zumptio, qui utilitatis aliquam notionem h. l. requisivit, si quidem in iis, quae conse-  
quuntur, Cicero tantum de mysteriis iurisconsultorum patefactis disputat ac neminem  
iam sapientem in eo haberi posse docet, quod omnes sciant, unde appareat, *promptum*  
est idem fere valere quam *patet*. — Rectius Zumptium fecisse existimo, quod pro *nullo*  
*pacto* scripsit *nullo modo*, quod praeter Lg. 9 etiam 20 et 24 exhibent, ut probabilius sit  
in ipso archetypo ea verba exstissem. Quamquam quod propter *non modo*, quod proxime  
sequitur, elegantiae cuiusdam querendae causa pro eo *nullo pacto* a librariis invectum  
esse ait, id ita potest inverti, ut propter alterum *modo* per errorem oculorum idem priore  
loco falso scriptum suspicemur. — Idem cadit in vocem *aliquando*, quam ibid. paulo post  
Zumpt. pro *aliquandiu* recepit, quae quum in codd. 9, 20, 25 m. p. E inveniatur, dupli-  
citer saltem testimonio firmata est; nam E, 20, 25 plerunque inter se conspirant, ut pro uno  
codice ms. eos haberi licet. Accedit quod praeter P reliqui omnes habent *aliquandiu*,  
quod ex *aliquando* ortum esse verisimile est. Sententia autem, tametsi alterum aptius  
est, quia h. l. posterum tempus priori opponitur, tamen *aliquandiu* fert; nam quod Icon-  
sulti *aliquando* habuerunt, id fuisse etiam *aliquandiu* dici potest. — In eadem §, ubi apud  
Halmium haec leguntur: *Itaque si mihi homini vehementer occupato stomachum moveritis,*  
*triduo me esse iurisconsultum profitebor*, ut quacunque posset ratione codici Lg. 9 con-  
staret, quia in eo exstat *profiteor*, a vulgata etiam longius recessit et contra codd. omnes  
ac praeter necessitatem scripsit *triduo me iurisconsultum futurum esse profiteor*, quoniam  
fere fit, ut, si quis sententiam aliquam tanquam unice veram amplexus sit, studio eius  
inductus vel in manifestos errores incurrat. Etenim ille, si me *iurisconsultum esse pro-*  
*fitebor* probetur, hac ratione facilitatem iuris scientiae minime cognosci censem, nam  
aliud esse *profiteri* sese *iurisconsultum*, aliud esse *iurisconsultum*: quasi vero, qui *triduo*  
se *iurisconsultum esse professus* erit, non idem se *triduo artem eam didicisse signifi-*  
*catus* sit. Ac mihi quidem iis, quae Halmio placuerunt, etiam maior quaedam fidu-  
cia videtur indicari, quae huic loco optime convenit; nam si quis dicat fore ut *tri-*  
*dupo* post iam tantum in arte aliqua profecerit, ut eam vel publice *profiteri* possit,  
id nimirum maius est, quam si quis *confiteatur futurum esse*, ut *triduo eam perdidice-*  
*rit*. Itaque refinenda utique lectio vulgaris fuit, nam quod in Lg. 9 legitur *profiteor*,  
id haud dubie errore ortum est; hoc unum monuerim, Halmium iniuria, ut videtur,  
eum verborum ordinem recepisse, quem in G reperisset; nam quod ex M et E enotatum  
est *me iurisconsultum esse*, id melioris codicis auctoritate commendatur et ad sententiam  
aeque commodum est.

Maiorem dubitationem haec movent § 31: *cuius belli victor L. Scipio aequiparata cum Publio fratre gloria, quam laudem ille Africa oppressa cognomine ipso p[ro]ae se ferebat, eandem hic sibi ex Asiae nomine assumpsit.* Sic Madvig, de conjectura in Opusc. Acad. II, p. 371, quem Halm. secutus est. Zumpt. autem recte monet aequiparandi verbum alienum a Cicerone esse, quo accedit, quod a librorum mss. vestigiis paulo longius distat; nam Lg. 9 cum aliquot deterioribus si qua p. (pro aequiparata), M vero cum rell. omnibus si qua parta habent. Quamobrem ille p. per compendium scriptum idem esse ac pro aut per ratus, spreta reliquorum librorum varietate scripturae, suum codicem ita secutus est, ut emendaret aequa prope cum Publio fratre gloria. Quod si probes, quomodo in rell. codd. parta corrigi potuerit, vix intelligas. Contra non ita difficile videtur iudicare, quomodo haec varietas orta sit, si in vetusto Poggii exemplo parta fuisse statuas, aut, quod eodem redit, part. per compendium scriptum, cuius littera ultima propter similitudinem sequentis litterae c, quae sere cum illa confunditur, a negligenti librario facile potuit praetermitti. Quo factum est, ut nonnulli per praepositionem sibi invenire videantur, unde brevitatis studio p. ortum est; qui paulo accuratius singulas litteras dispercerent, parta plene scripserunt, ex quo quum alterum ortum esse videatur, illud retinendum existimo ac scribendum aequa parta cum Publio fratre gloria. Nam gloriam parere saepius apud Ciceronem legitur, cf. de or. 2, 52, 210; ad Brut. 1, 15 al. Nec moveor eo, quod Zumpt. negat L. Scipionem parem cum fratre laudem sibi comparavisse, quia oratoris est, si res postulat, augendo et exornando paululum a vero discedere ac Ciceronis h. l. maxime interest, quum bella cum Asiaticis nationibus gesta gravissima esse dicat, summis illum laudibus cumulare.

§ 32. Optime apud Halm. e conjectura Niebuhrii haec leguntur: *quem L. Sulla, maximo et fortissimo exercitu, pugnax et acer et non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, cum bello invectum totam in Asiam cum pace dimisit, quae conjectura praeclarissima duorum codicum auctoritate nititur, quos in optimis numerandos esse supra demonstravi; nam in M est pugnaexecaceret, in P pugnaexecaceret, idque in ipso archetypo extitisse probabile est, quod qui statuerit, quae in rell. codd. sunt, correctione illa orta (exaceraret 8 20 25 86 E; excitaret 1 3 7 10 13 65 G; excitatum 24; omisit 26), quomodo fingi potuerint facillime intelliget.* Qua emendatione Niebuhrii Zumpt. non iam contentus, cum in codice suo invenisset *pugna certe non rudis imperator*, hinc fecit *pugnae certe non rudis imperator*, reliquorum codicum omnium lectiones ex iis, quae reperta in Lg. 9 essent, ortas esse ratus. Qua quidem in re ipse secum pugnat, siquidem in praef. p. XLVII reliquorum codicum librarios ad ipsum exemplar Poggii redisse censem, hoc loco et in adnot. ad § 28 codicem Lg. 9 omnium, qui hodie exstant, quasi communem fontem esse existimat. Sed hercle, quis credat eum, qui emendando operam det, ex iis, quae maximam partem intelligi queant, efficere prorsus obscura et absurdaria? Potius ea, quae difficultum esse constat, ut scriptorum verba adeo multis locis corrumperentur, vix ut hodie possint restitui. Quae quum ita sint, non est quod archetypi lectionem in Lg. 9 reprehendere nobis videamus, sed iam in illo leviter haec verba corrupta fuisse statuimus, quae quum librarius Lgsiniani 9 non intellexisset, omissis aliquot litteris emendationem eam adhibuit, qua sententia quodammodo perspicua fieret. Iniuria igitur Zumpt. hoc potissimum loco praestantiam eius codicis probare conatus est, quem neque lacunis carere et nonnunquam emendandi studio depravatum esse appetet. Nec vero quae argumenta ex ipsa huius loci sententia ad conjecturam Niebuhrii refellendam petit, probari videntur

posse. Nam quod Sullam non potuisse pugnacem appellari ait, at potuisse Marcellum (cf. de rep. fragm. lib. V p. 480 ed. Orell. *Marcellus ut acer et pugnax, Maximus ut consideratus et latus*) propterea, quod *pugnax* sit i. q. *pugnandi ultra quam rectum est cupidus*: primum *pugnax* simpliciter est *pugnandi cupidus*, qui si Sulla appellatus est, nemini nimium videri poterit, deinde Ciceroni, quem Mithridatem hostem minime contemendum fuisse diceret, magnopere expedit docere, Sullam, tametsi cum cum pace dimisisset, nou tamen summa fortitudine et constantia carnis. Quocirca ne ea quidem, quae Cicero adiecit, *ut aliud nihil dicam*, non aptissime dicta sunt; nam quum illum non modo *pugnacem et acrem*, sed etiam *crudelem*, eundemque non modo *non rudem imperatorem*, sed etiam *belli peritissimum* liceret appellare, suo iure Cicero se lenioribus verbis usum esse professus est. Postremo illud utique tenendum est, oratoris esse, dum causae serviat, nonnunquam rem supra, quam par est, augere et exornare.

Non magis placet, quod Zumpt. paulo post in verbis *qui rex, sibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes et copias belli, tantum spe conatusque valuit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis coniuncturum probaret*, quia in Lg. 9 25 G legitur *ipse conatu*, id amplexus est repudiata praeclara Klotzii conjectura *spe conatusque*, quae codicum longe plurimorum varietate scripturae *ipse conatusque* nittitur. Nec dubitari potest, quin haec in archetypo fuerint et in reliquis codicibus cum fide servata, in paucis omisso que emendata sint, sicut in 24 alia medela tentata est, qui exhibet *ipse opibus conatusque*. Nam codicis G auctoritas eo extenuatur, quod P, quocum plerumque conspirat, alterum exhibet, 25 exigua aut nulla fide est, 9 vero non ab omni emendationum suspicione immunem esse supra docui. Ceterum *ipse et spe* facilime confundi potuerunt, sicut confusa sunt in Lg. 20 § 52, v. Zumptii edit. p. 172. Ac nescio an *spe conatusque* eis, quae proxime subsequuntur, quasi postulentur, quia si *conatu* solum Cicero posuisset, dicendum deinceps videtur fuisse *ut Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis coniungere auderet*. Illud vero, quod in Lg. 9 pro *coniuncturum* legitur *coniunctiones*, equidem non vestigium alias cuiusdam lectionis esse putaverim, quasi Cicero dixerit *coniuncturum esse*, sed, si quid video, errore illud et emendandi libidine ortum est, quum librarius verbum, quod minus perspicue scriptum esset, ad *copias* referendum esse putaret.

§ 45. Miror Zumptium codici suo usque eo obsecutum esse, ut orationem bonam et sanam non dubitaret vel mendo contaminare et sententiam quodammodo everttere. Nam quum antea legeretur: *Alium faciam, quoniam sibi hic ipse desperat, electo ipse* e Lg. 9 recepit *ipsi*, quod alienissimum ab hoc loco esse facile apparet. Totius enim coli haec est vis et significatio, candidatum, cum ipse demisse se gerat et spem omnem abiecerit, eundem amicorum quoque studia debilitantem efficere, ut hi causam suam deserant. Itaque quoniam contrarii et tanquam inter se oppositi ii sunt, qui desperent, non quibus timeatur aut desperetur, quia nemo significatur, qui praeter candidatum ipsum magistratum petat, dativum *ipsi*, qui in uno Lg. 9 est, non modo acuminis nihil sententiae addere, sed ne ferri quidem posse intelligo. Quodsi p. Sull. 6, 18 haec leguntur: *quibus ego rebus, iudices, ita flectebar animo atque frangebar, ut iam ex memoria, quas mihi ipsi fecerat insidias, deponerem, recte h. l. ipsi* dicitur, quia contrarii ii cogitantur, quos praeter Ciceronem ipsum Autronius iniuriis affecerat. Quamquam hoc quoque loco nominativo uti licuit, quem casum huius pronominis constat semper fere pro iis ponere posse, quos vulgo obliquos appellant, non item obliquos pro nominativo. — Magis etiam paulo post codicis Lg. 9 lectio a vulgata discrepat; nam in fine eius § haec ante Zumptium legebantur: *Omnes enim ad pericula propulsanda concurrimus, et qui non aperte inimici sumus,*

*etiam alienissimis in capitibus periculis amicissimorum officia et studia praestamus; sed e cod.* illo haec enotata sunt: *et qui non aperte inimici sumus et alienissimi, in capitibus periculis amiciss.* cet., quae Zumpt. non paulo veriora esse censuit. Nam ut verum sit, qui accusentur, eos non modo per suos, sed etiam per alienos defendi, ita si Cicero nos alienissimis dicat amicissimorum officia praestare, nimium id esse nec usu probari. Quare et alienissimi ita cum verbis antecedentibus coniungendum esse existimat, ut sit idem quod et propterea magnopere alieni. Quae argumentatio mihi quidem multis de causis displicet; etenim ut nihil dicam Ciceronem, quum maximis difficultatibus cum, qui accusationem cogitaret, implicari ostenderet, numerum defensorum quam posset maxime augere debuisse, primum verba *qui non aperte inimici sumus et alienissimi* eo offendunt, quod omnino non videntur apte consociari posse. Neque enim alieni homines in numero inimicorum habendi sunt, ut quasi uno genere hominum comprehendantur: immo Cicero tantum non semper eos ita distinguit, ut quodammodo inter se contrarii sint, cf. § 56, ubi Catonis opes et ingenium praesidio ait multis etiam alienis, exitio vix cuiquam inimico esse debere. Apparet eos non gradu, ut philosophi loquuntur, sed genere inter se differre, quare ista verborum comprehensio non potest non improbari. Accedit quod Cicero, quum dicit *qui non aperte inimici sumus*, ne simultatis quidem, dum occulta sit, in tanto vitae periculo rationem habendam esse existimat. Atqui inimicus, quamvis occulte inimicus sit, tamen in odio est, non est necessario alienus, ne alienissimus quidem. Quare quoniam *alienus* non eum significat, qui cum altero inimicitiam gerat, sed qui nulla aut propinquitate aut vitae consuetudine cum eo sit coniunctus, cum in periculum capitibus incurrit, etiamsi alienissimus sit, quidni ab honestissimo quoque defendatur? Quid? quod Cicero ipse § 8 vel amicis nostris accusantibus etiam alienissimos a nobis defendi oportere ait? Denique etiam in iis, quae Zumptio placuerunt, nimium quid dictum videri possit, siquidem satis fuit dicere *amicorum*, non *amicissimorum*, quo verbo quum Cicero uti vellet, necessitate quadam alter superlativus ei concinnitatis causa adiiciendus et *alienissimis* in apodosin reiiciendum fuit. Itaque mihi quidem unum illud, quod Halm. recepit, probatur, quod propter unum Lg. 9 non erat spernendum, quippe quum hoc genus corruptionis satis frequens in eo sit. — Eadem de causa parum recte § 46 si haberet ex codice illo a Zumptio receptum videtur, non quod per se displiceat aut non paulo exquisitus dictum sit eo, quod vulgariter, *si haberet*, sed quod auctoritate unius Lg. 9, quem in terminationibus vocabulorum saepissime madosum esse docui, non satis videtur commendari, quippe quum propter sequentem litteram n facile illud per errorem potuerit scribi. — Maiore etiam audacia ille § 49 usus est, ubi apud Halmium haec leguntur: *Catilinam interea (videbant) alacrem atque laetum, stipatum choro iuventutis, vallatum indicibus atque sicariis, inflatum cum spe militum tum collegae mei, quemadmodum dicebat ipse, promissis, circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum exercitu cet.*, quae quum Zumptio displicuerint, conjecturam periclitatus est cum orationis concinnitati adversantem, tum a librorum mss. auctoritate abhorrentem, quum scriberet: *inflatum cum spe inani tum collegae mei — promissis.* Etenim quod in codd. plerisque *cum militum collegae* legitur, omissa *tum* particula, quae post *militum* facile potuit intercidere, id facili mutatione emendandum erat, neque hoc vitium levissimum gravioris debebat corruptiae suspicionem movere. Verum ille propter sententiam ipsam *militum* ferri non posse censem, quia quum in republica non perpetuo milites alerentur, sed ad tempus conscriberentur, nemo dici potuerit spe militum efferrri, nisi certus quidam imperator et exercitus cogitaretur. Quasi h. l. de Catilina duce eiusque exercitu cogitari non possit. An vero in iis orationibus, quas in Catilinam habuit,

et aliis locis totiens Ciceroni licuit eum et hostem nefarium ac scelestum appellare, qui bellum patriae inferre conaretur luctuosissimum, et ducem audacissimum, quem iamdudum castra illa Malliana exspectarent, copiasque eius commemorare, quas socii coniurationis ex tota Italia undique collegissent: hoc loco militum eius mentionem fieri non licuit? Quid? quod in Catil. II, 10, 21 hoc ipso militum vocabulo utitur, quum dicit *hosce ego non tam milites acres quam iniciatores lentos esse arbitror?* cf. ibid. § 5; p. Sull. § 33, al. Mitto dicere, verba *cum spe inani* neque iis, quae consequuntur, *tum collegae mei promissis* convenire, quae genitivum utique in priore parte desiderant, et a sententia huius loci non medio criter abhorre, quum non tam eae res commemorandae fuerint, quibus Catilina spe deceptus videretur, quam quae ad augendum eius animum pertinherent. Accedit quod paulo post haec sequuntur: *circumfluentem Arretinorum et Faesulanorum exercitu*, quo loco quum exercitus appellatione non abstinuerit, quamvis eae copiae non publice conscriptae essent, quidni easdem etiam milites appellari licuerit? Quamquam haec quoque verba emendatione egere existimavit; negat enim *circumfluere aliqua re* idem esse quod *abundare*, sed esse ait *diffluere, dissolutum esse aliqua re*, quod vereor ut origine verborum usque comprobetur. Nam quum *diffluere* aliquid recte ita dicatur, ut dilabendo quasi in singulas partes minuatur et extenuetur, *circumfluere* contra proprie est aut fluendo aliquid cingere aut passim et late fluere. Quodquum res *diffluens* eadem longe diffundi possit et quodammodo *circumfluere*, non tamen *diffluere* usquam dicitur, nisi notio infirmandi vel perdendi accedat, qua vi *circumfluendi* verbum caret; nam in hoc abundantiae significatio nunquam extinguitur. Apparet ea verba, ut simillima sint, ita non posse alterum cum altero confundi, ne translata quidem significacione, qua homines *circumfluere* dicuntur. Qui quidem, si undique rebus fluentibus circumdantur et quasi liquore quodam imbuuntur, ipsi quoque quasi fluere videntur, nec vero ipsi diffunduntur aut *diffluunt*, sed tanquam madent omnibus partibus et *circumfluent*, i. e. abundant. Idem fere *affluere* significat, cf. p. Sest. 8, 18, ubi Gabinius unguentis *affluere* dicitur; de fin. 2, 28, 93 *At miser, si in flagitiosa atque vitiosa vita afflueret voluptatibus.* Neque vero, quibus ubique locis apud Ciceronem *circumfluendi* verbum cum abl. coniunctum legitur, non idem valet atque *abundare aliqua re*, cf. Lael. 15, 52 *Nam quis est, pro deorum fidem atque hominum! qui velit, ut neque diligat quemquam nec ipse ab ullo diligatur,* *circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere*, quo loco quomodo *circumfluere* intelligendum sit, ea ipsa, quae particula *atque* adiunguntur, significant; cf. Seyffert. ad h. l. Accedit quod infra Laelius, ubi § 54 ad eandem rem reddit, denuo de copiarum, facultatum, opum abundantia disputat. Est igitur, quamquam antecedit *deliciis diffluere*, h. l. idem quod *abundare*. Neque ad Att. 2, 21, 3 *Itaque ille amicus noster, insolens infamiae, semper in laude versatus, circumfluens gloria, deformatus corpore, fractus animo, quo se conferat nescit,* idem bis dicitur, sed alterum multo plus valet et apte res angetur, siquidem qui in laude semper versatur, i. e. omnibus hominibus probatur, hac ipsa re gloriā *circumfluentem* sibi conciliat. Denique in Verr. III, 4, 9 *istum rebus omnibus undique ereptis impune eludentem circumfluere atque abundare*, ut Zumptio dem ablativos esse eos, quos dicunt consequentiae, tamen eos ipsos ablativos ad verba *circumfluere atque abundare* cogitando referri necesse erit. Ne multa: parum recte Zumpt. mihi videtur egisse, quod negavit hoc verbum idem valere atque *abundare aliqua re*, nec video, quid a sententia quidem et verbi usu obstet, quominus Halmii lectionem amplectamur. Quamquam ut eam falsam esse credam, alia re moveor. Etenim quum in codicibus plerisque iisque optimis extet *exercitum*, quamquam in Lg. 9 20 65 *circumfluente* reperitur, tamen

utroque loco accusativum verisimile est scriptum fuisse, quod nisi probes, quomodo in iisdem altero loco accusativus ponit potuerit, difficile ad intelligendum erit. Quare equidem *circumfluentem — exercitum* legendum existimo; qua lectione pronomen *ipsius*, quod subsequitur in verbis *vultus erat ipsius plenus furoris*, de quo Kayserus dubitavit, nescio quo pacto etiam magis stabilitur et quodammodo necessarium esse convincitur, neque concinnitas orationis tollitur, quia in priore membro sententiae simili ratione Sulpicius ab amicis seiungitur ac distinguitur.

§ 50. *Quibus rebus qui timor bonis omnibus injectus sit quantaque desperatio reipublicae, nolite a me commoneri velle: vosmet ipsi vobiscum recordamini.* Sic Halm. et ceteri editores; Zumpt., quod in codice suo invenit commoneri: *vel vosmet ipsi*, lectionem illam non ferendam esse ac vix latinam habere verbositatem statuit. At idem Nepos dixit Att. 4, 2 *noli me velle ducere*; item Liv. 7, 40 *cuius auspicia pro vobis experti nolite adversus vos velle experiri*, nec raro Cicero, cf. exempla, quae Markland. ad Cic. p. dom. 57, 146 congettavit (in Wolfii edit. p. 295). Quid? quod ne licuisse quidem dici *nolite a me commoneri* contendit? Nam quum *noli* aut *nolite* cum infin. iunctum idem sit quod *ne cum imper.*, quae forma vetandi vel praeccavendi apud prosae orationis scriptores insolentior est, absurdum videtur vetare aliquem id, quod utrum fieri debeat necne decernere vetantis ipsius est. Iam quoniam penes oratorem ipsum fuit statuere, essetne necesse indices commoneri, non potuit eos adhortari, ne commonerentur, at potuit adhortari, ne cuperent a se commoneri, quare *velle* usque eo non vitiosum est, ut in Lg. 9 aut per negligentiam, aut propter emendandi libidinem in *vel* mutatum esse perspicuum sit. Cuius codicis librarius, quia Latinitatis non admodum fuit peritus, correctionibus ita abstinuit, ut complurium verborum ambitum vereretur mutare, in singulis vocabulis, si quid minus aptum videretur, emendare non vereretur. Praeterea in Zumptii lectione asyndeton perquam elegans perit, ac nescio an haec potius verba: *vel vosmet ipsi* verbositatis nomine reprehendi oporteat. — Iam quoniam codicem Lg. 9 multis locis negligenter exaratum esse appetit, non tanti habendus est, ut ex eo solo § 53 scribatur *admirandum*, pro eo, quod vulgabatur, *mirandum*, aut § 57 *expetendus amicis est*, pro vulgato *amicus*, e quibus hoc: *expetendus amicis est* Zumpfio multo et facilius et apertius visum esse vehementer admiror. Etenim quum Cicero Postumum propterea exagitet et insectetur, quod amicitiae officiorum tam sit immemor, ut quocum necessitudinis causis compluribus coniunctus sit, eum testimonio et accusatione laedat, dicere haud dubie voluit, contemnendam illius amicitiam esse ipsumque amici nomine omnino indignum habendum, id quod multo apertius et cum acerbiore irrisione significari eo videtur, quod ante Zumptium legebatur. Praeterea, si *expetendus amicis* probemus, oratio nescio quomodo manca esse atque id desiderari videtur, unde appareat, qua potissimum causa Postumus amicis expetendus sit, quare dicendum saltem fuit *expetendus amicis patronus*, vel simile quid, sicuti de imp. Cn. Pomp. 2, 5 legitur: *unum ab omnibus ad id bellum imperatorem depositi atque expeti*. Nulla igitur causa videtur esse, cur a lectione vulgata discedamus. — Idem cadit in § 60: *nonnulla forsitan in re conformare et leviter emendare possim*, ubi item in uno Lg. 9 possimus scriptum est et a Zumptio probatum. Sed anceps videtur, quod a Romanorum consuetudine loquendi abhorret, id unius codicis parum vetusti auctoritate defendere, meritoque indicativus, quem Brut. 13, 51 aliquot codd. exhibent et p. Lig. 12, 38 codicum consensus tueri videtur, ab editoribus locis illis repudiatus est. Similiter § 61 solus Lg. 9 exhibet: *si distortissimi sunt pro sint, errore, opinor, librarii*; sed hoc loco falso eum aquabilitatis studio ductum emendationem tentasse non ita veri dissimile est, quamquam Cicero, quum idem verbum eodem loco iteraret, concinnitati orationis satis consuluit.

§ 60. *Fixxit enim te ipsa natura ad honestatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, iustitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem et excelsum.* Quibus verbis miram quandam urbanitatem orationis et festivitatem inesse video, quum Cicero ingenium Catonis a communi hominum consuetudine abhorrens morumque severitatem lepide irrideat, qui lepos omnis eo, quod Zumptio placuit, pereat necesse est. Is enim praeclarum sibi varietatem scripturae in Lg. 9 deprehendisse visus est, in quo legitur *fecit pro eo*, quod est in ceteris libris mss. *fixxit*, exemplaque aliquot attulit, quibus doceret latine dici *natura facit*, non *singit*. Etenim singere aliquem ad aliquid posse institutionem, vitam, artem, naturam non posse. In quibus primum illud minus recte videatur statuisse, quod putavit ad *humanitatem, honestatem cett. coniungenda esse cum verbo*, quum potius ad adiectiva *magnum et excelsum* referenda sint, velut est p. Font. 15, 33 *virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortē, ad usum et disciplinam peritum, ad consilia prudentem, ad casum fortunamque felicem*; cf. p. Mur. § 68 *moderatiorem fuisse ad omnem rationem humanitatis.* Deinde quum dubitari non possit, quin de iis codicibus, qui hodie exstant, unus alterve ex archetypo descriptus sit, non sane intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut unus duntaxat librarius id reperiret, quod facillimum esset neque ullam dubitationem movere posset, reliqui insolentius verbum atque idem omnes amplectentur. Multo illud verisimilius, in unum Lg. 9 mendum invectum idque ortum eo esse, quod librarius, quem litteras in archetypo minus perspicue scriptas paulo accuratius dispiceret, tritum verbum de conjectura reponeret, quippe quum litterarum ductus utriusque vocabuli simillimi essent. Nec vero natura non potuit dici aliquam rem *singere*, si quidem eadem dicitur *conformare*, cf. de fin. 1, 7, 23 *Ad maiora enim nos natura genuit et conformavit, ut mihi quidem videtur, ubi haud dubie aliud conformavit est, aliud genuit.* *Fingere* vero nihil est, nisi cum artificio quodam rem rudem et inchoatam formare, ac lepide Cicero iactationem Catonis ridet, quem quum natura conformaret tot tantis virtutibus ornatum, quibus plerique carerent, non exigua ei opera aut arte opus fuisse significat. Quae non temere a me dicta esse quum verba *magnum hominem et excelsum*, quibus ridicule laudes Catonis nimium augere videtur, tum *omnis*, quae subsequitur, oratio docet. Neque enim illum doctrina ait aut Stoicorum praeceptis indiguisse, sed, quoniam natura ingenium eius tam perfectum progenuisse, quo praestantius fingi nihil posset, quum ad asperiorem philosophorum rationem *vitam* institueret, non potuisse egregiam eius naturam non quasi corrumpi et depravari. Quare nolim praeclarum illam varietatem scripturae, prioribus editoribus probatam, unius codicis auctoritate tolli, quippe quum in singularis illius hominis imagine exprimenda insolentiore verbo uti licuerit.

§ 65. *Ac te ipsum, quantum ego opinione auguror, nunc et animi quodam impetu concitatum et vi naturae atque ingenii elatum et recentibus praceptorum studiis flagrantem iam usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit.* Hunc locum, qui Halmio probabatur, cum Zumpt. codicis sui subsidio emendare conaretur, depravasse potius videtur ac nescio quibus argumentandi difficultatibus implicatus est. Etenim quas tres causas a Cicerone allatas esse ait, e quibus asperitas Catonis orta esset, primum naturam elatiorem, deinde recentia studia, denique quod cupide ad virtutem Stoicam contendisset, earum altera et tertia quomodo inter se differant, equidem me non intelligere ingenue confiteor. Deinde si Catonis ad virtutem Stoicam contentio non recentibus praceptorum studiis significetur, quibus tandem verbis eam commemorari existimabimus? An iis, quae primo loco posita sunt? At his verbis concitatio quaedam et impetus, Stoicae virtutis aemulatio non significatur, ut nihil dicam, sublato genitivo *animi omnem aequabilitatem orationis cum magno*

quodam elegantiae detimento perire. Neque enim quum in altero et tertio membro *eis* ac *studia* adiectis genitivis illustrentur, in primo non significari necesse erit, qui impetus sit et unde ortus. Accedit quod latine vix dicitur: *cum quodam impetu concitari*; nam *impetu vel motu incitari, ferri, trahi* et bene est et saepe legitur, cf. de off. 1, 15, 49 *repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati*, quo loco recte causa indicatur: illud me ullo loco legere non memini. Optime autem *animi dictum est, quo verbo, quum h. l.* contrarium sit ingenio, iuvenilis quidam spiritus et iracundia significatur, eo tummaxime mota, quod in petitione consulatus ambitum fieri animadverterat, quae ferocia futurum esse ut usu flecteretur et quodammodo exueretur, aptissime Cicero commonuit. In iuria igitur Zumpt. animi mentionem inutilem esse contendit et quod *animi impetu concitatum* idem valere putat atque *ri naturae elatum*, paulum haud dubie a vero recedit. Nam, si quid video, *naturae atque ingenii* ita h. l. coniuncta sunt, ut unam quandam notionem efficiant, tanquam dicatur *ingenium natura quasi insitum atque innatum*; ingenium autem ea Catonis ratio est, qua humiles res et abiectas contemnit, altas et honestas appetit. Cui rationi contraria sunt recentia praceptorum studia, i. e. studia Stoicæ rationis, quam recens amplexus est, ab ingenio ipsius alienam. Patet igitur, eam archetypi vocem, quam Zumpt. a reliquis librariis male intellectam esse queritur, potius a Lgsinianorum 9 et 26 auctoribus, quum per compendium scripta esset, male perspectam nullo aut oculorum aut mentis acumine in suos libros transcriptam esse. Nec magis probo, quod ibid. paulo post ille scripsit *usus flectet et dies leniet et aetas mitigabit*, quamvis prius et in solo Lg. 9, alterum in solo Lg. 24, ambo in nullo codice reperiantur, ac facillime eam coniunctionem ex ultima verbi antecedentis syllaba male repetita nasci potuisse appareat. Similiter § 89 in verbis: *in quibus annos multos legatus fuit, exercitus duxit, res maximas gessit utrumque et*, quod apud Halmium legitur, omittendum fuit recteque Zumpt. omisit. Contra § 83 retinendum videtur, quod Halm. scripsit: *Petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio res publica, ut minuatur contra suum furorem imperatorum copia, ut maior facultas tribunis plebis detur; nam ut ante maior propter similes litterarum ductus facile in Lg. 9 intercidere potuit, itemque res publica corrumpi, si per compendium in archetypo scriptum erat.*

§ 66. In Lg. 9 et 26 haec leguntur: *Quemquamne existimas Catone proavo tuo comodiorem, comiorem, moderatiorem fuisse ad omnem rationem humanitatis?* quae dubito an iniuria Zumpt. receperit, siquidem quod in ceteris est communiorum pro comiorem, et sententiae loci melius videtur convenire et Romanorum consuetudine loquendi probari. Nam *communis* is est, qui nulla re se ceteris hominibus anteponit nec quidquam sibi arrogat, sed inferioribus se aequat et eisdem, quibus ceteri, rebus delectatur; cf. Lael. 18, 65, de quo loco Zumpt. dubitare non debuit: *Simplicem praeterea et communem et consentientem, id est, qui rebus eisdem moveatur, eligi par est*, quae verba prudenter Seyffert. in adnot. ad h. l. illustravit. Quare in principibus potissimum viris ea virtus laudatur, velut Cat. mai. 17, 59 Cyrus minor erga Lysandrum Lacedaemonium communis atque humanus fuisse dicitur, ubi id verbum ab editoribus recentissimis merito servatum est. Quodsi Cicero p. Balb. 16, 36 negat *communis* idem valere quod *comis*, recte id negat, quamquam ex eodem loco apparet, haec verba, cum comitas fere cum illa virtute coniuncta sit eamque quasi comitetur, a Romanis nonnunquam confusa esse. Ac vel de fin. 2, 50, 80 nisi librorum auctoritas adversaretur, ferri illud posset, quamquam *comis* ibi paulo post subsequitur. Hoc vero loco Cicero, quoniam Catonem eo nomine reprehendit, quod e disciplina Stoicorum nimiam morum severitatem sequatur, a ceterorum civium consuetudine

abhorrentem, quae ratio Catonis certe iactatione quadam non caruit ac propterea multis invisa fuit, apte proavum eius, quod communis et moderatus fuerit, laudat. Quare quum *comis* paulo ante dictum sit et *comitas* sequatur, nescio an sicut § 65, ita h. l. librarii codicum illorum verbum per compendium scriptum male intellexerint et a reliquis recte id servatum sit.

§ 73. Quae in uno Lg. 9 exstant si *L. Natta* — in equitum centuriis voluit esse et ab hoc officio necessitudinis et ad reliquum tempus gratiosus cet. nisi magno et sententiae et concinnitatis orationis detimento ferri non possunt, quia altero membro reliquum tempus significatur, cui nonnisi prius tempus, non facultas et quasi origo gratiae conciliandae apte opponitur. Itaque scribendum utique est, quod prioribus editoribus placuit et reliquorum codicium consensu probatur: *ad hoc officium*, i. e. suffragationis, quibus verbis haec sententia efficitur, voluisse *L. Nattam* gratiam sibi comparare, qua et vitricum suum tunc ipsum consulatum petentem adiuvare et postero tempore sibi ipse prodesse posset. — Nec magis paulo post propter unius Lg. 9 auctoritatem *munia* eiecerim, quod quum librario eius codicis insolentius videretur, promptum ei fuit *munera*, quod multo frequentius esset, reponere. — Similiter quae § 79 ex eo codice solo Zumpt. scripsit: *nec iam timendus est nunc exercitus L. Catilinae*, quam isti, qui illum exercitum deseruisse videntur, quum per se non displiceant, tamen, quod rell. codd. omnes deseruisse dicuntur exhibit, suspicionem movent. Ac dubito an ratio illius minus probari possit, quum dicit non locutos esse de ea re homines, sed qui peritiiores essent existimasse, eos, qui cum *Catilina* non exissent, a coniuratione defecisse. Immo et probabile est, multos homines ista dixisse, quibus Cicero iusto severius agere aut superbius sua in patriam merita iactare videretur, et similia leguntur in Cat. 2, 6, 12: *At etiam sunt qui dicant, Quirites, a me in exilium electum esse Catilinam*. Quorum sermones invidos ut redargueret, summa ope ei vigilandum atque id agendum fuit, ut clandestina consilia coniuratorum patefaceret. Quare quum dicuntur aptissimam efficiat sententiam, tutius videtur ad lectionem vulgatam redire. — Item minus probandum videtur, quod § 86 pro *maerore* Zumpt. dolore reposuit, quum particula *ac gradationem quandam* indicet, quae aptius verbo *maerore* significatur. Sed antecedentia verba *squalore* et *sordibus* translata significatione nihil fere inter se differunt, qua de causa rectius in codicibus praeter Lg. 9 omnibus prius et omissum est. Ceterum nescio an *dolor* a librario propterea scriptum sit, quod paulo ante idem legitur et parva tantum litterarum dissimilitudine ab altero differt. Denique *vester est supplex*, quod Zumptio tantopere displicuit, non omni defensione destitutum est, siquidem dubitari non potest, quin *supplex* saepius vi ac notione substantivi usurpatum sit; certe quae p. Cluent. leguntur 70, 200: *levate hunc aliquando supplicem vestrum, iudices, codicum omnium consensu defenduntur*, quibus addo p. Sest. 27, 58: *Hunc Cn. Pompeius, cum in suis castris supplicem abiectum vidisset, erexit atque insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit*, ubi recte Halm. *supplicem* loco substantivi positum esse in adnotatione monuit. Nec verisimile est, si in codice archetypo *vestram* scriptum fuisset, reliquos librarios omnes planiori scripturae eam praelatuos fuisse, qua quis offendi posset. Probabilius illud, ab uno librario codicis Lg. 9, cuius oculi ad proxima verba aberrarent, idem scriptum esse, quod paulo post sequitur. (\*)

\*) Haec quum typis iam impressa essent, sero in annal. Jahnii vol. LXXXI et LXXXII, 11, p. 786 sqq. accuratam de libro Zumptiano censuram L. Kayseri inveni, quem virum doctum quod multis locis mecum facere intellexi, non mediocriter delectatus sum.